Quelle: http://manuscripta.at/?ID=30305
Copyright: Heiligenkreuz, Zisterzienserstift

uias gratias agens domum reuersus est.
Demetrius autem primus ciuitatis damascenorum.
auditis his que per apostolum fiebant. uenit ad eum
et prouolutus pedibus eius cum lacrimis ait. Ser-
ue dei uiui. miserere mei in seruo tuo. et redde
michi puerum meum. quem unico amore di-
ligebam. qui febre inualescente defunctus est.
Festinans itaque uir sanctus ad domum illius. et stans
iuxta feretrum. dixit. In nomine ihesu christi surge.
et sta sanus. Qui confestim surgens stetit. et
multi paganorum uidentes conuersi sunt. et sus-
cepto uerbo fidei baptizati sunt.
Adolescens quidam christianus nomine sostratus
habens matrem. que instinctu diaboli laqueo
capta libidinis. cum ineunde filium suum ex-
arsisset. crebro eum ad matris thorum maculan-
dum trahere conabatur. Quo constantissime re-
cusante. oblita maternę dilectionis innecem filii
seuiens. semetipsam discerpens. uesteque con-
scissa. proconsulem ciuitatis adiens. eique pe-
dibus prouoluta. se ab unico filio oppressam lacera-
tamque proclamauit. Proconsul itaque furore com-
motus. et missis apparitoribus tenuit adolescen-
tem. eumque cum parricidis puniendum iudicauit. Qui-
bus auditis sanctus andreas apostolus. concito cursu perue-
nit. atque matre iuuenis adhuc flente. coram
proconsule ait. O inquit infelix. que iniuriam
filium tue crimen nequicie retorsisti. et castum
fede stimulo libidinis precipitata amittere
decreuisti. cur hos eiulatus emittis. Hec
et his similia illo loquente mulier ait. procon-
suli. Ex quo mi domine tanta filius meus iniquitate
corruit. ab hoc homine non recedens. sic meam
precipitare innocentiam. coram uestra iusticia teme-
rarius presumpsit. Proconsul ergo furore correp-
tus. puerum in flumen precipitari. andream car-
cere iussit includi. donec excogitatis supplici-
is et ipsum perimeret. Orante autem apostolo terre-
motus magnus cum tonitruu factus est. et pro-
consul quidem de sede cadens. cum omnibus qui ad-
erant terre procubuit. mater uero adolescentis percus-
sa aruit. ac iusta morte sui sceleris penas
luit. Procidente autem ad pedes apostoli proconsule.
et magne obstupefactionis uocibus ueniam
petente. iterata beati andree prece ad dominum.
fulgura. terre motus ac tonitruus quieuerunt.
et qui ceciderant erecti sunt. et sanitati restituti.
Quo uiso proconsul. uerbum dei suscipiens. cum to-
ta domo sua. baptizatus est.
Gratinus autem uir senopensis. febribus urgebatur.
uxor uero ydrope intumuerat. filius quoque a de-
mone grauiter cruciabatur. Hic directa proconsu-
li epistola. per beatum andream liberari postulabat. Ue-
niens autem beatus andreas. expulso demone.
filium sanitati restituit. et corripiens gratinum ne
relicto proprio thoro ultra scorto misceretur. ipsum-
que curauit. Increpans quoque concubinam eius ut
non ultrius illicita commixtione pollueretur. sanam
fecit. Conuersus ergo gratinus cum omni domo sua cre-
didit. ac multa munera apostolo offerens. cum non re-
ciperet. pauperibus erogare iussus est.
Post hec cum niceam proficisceretur. tota ei ciuitas
obuiam uenit. postulans inmensis uocibus erui
de manibus pessimorum. Sunt enim inquiunt. hic
septem demones secus uiam inter monumenta com-
morantes. qui pretereuntes lapidibus obruunt. etiam
nece quam plurimos affecerunt. Ipso autem predi-
cante cum se omnia credere profiterentur. in simi-
litudine canum demones iussu apostoli in conspec-
tu omnium astiterunt. Ecce inquit uestri aduer-
sarii. Baptizemini ergo. et liberabimini de ma-
nibus eorum. Cumque presto sumus responderent.
iussi nemini nocere. demones euanuerunt.
Et baptizauit eos apostolus. constituitque eis episcopum
calixtum. uirum sapientem et irreprehensibilem. et
custodientem precepta domini.
Denique apostolus christi cum portis nicomedie ciui-
tatis appropinquaret. iuuenis quidam mor-
tuus efferebatur. quem pater senio confectus. ser-
uorum manibus sustentatus. et mater decrepita.
sparsis crinibus sequebantur. magnis suspiriis
et eiulatibus clamantes. Heu cur usque ad hoc
tempus etas nostra protensa est. ut funeris nostri
expensas unici filii. funus uiolentum accipi-
at. Condolens autem apostolus. ait illis. Pandite
queso quid huic adolescenti contigerit. ut
ab hac luce migraret. Quibus pre pudore nil
respondentibus. cum didicisset a famulis illum
solum in cubiculo sedentem. subito septem canibus
irruentibus dilaceratum. demonum inquit quos
ab urbe nicea expuli. istud opus est. Et inge-
miscens suspiciensque fusa oratione. conuertitur
ad illos dicens. Quid mihi dabitis. si filium uobis
restituero. Cumque se illum ipsum quo nil preciosius
habuerunt dare pollicerentur. si resurgeret.
acutum suscitauit illum. et factus est clamor